



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Directorivm Inqvisitorvm F. Nicolai Eymerici Ordinis Prædicatorum

Nicolaus <Eymericus>

Venetiis, 1607

Forma alia secunda pro eodem.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13589

Docet tamen Simancas de catho. inst. tit. 64. nu. 11. testium examinationem ab ipso Inquisitore fieri debere, nec alteri committendam, nisi cum testes sunt impediti, ad quos nec iudices ire facile possint aut debeant; quod non negamus: neque enim facile debent Inquisitores vices suas committere, sed tunc cum iusta causa postulat: nam quæ ab Inquisitoribus geruntur, maturius & prudentius facta esse præsumuntur, quam quæ ab eorum substitutis fiunt.

Ac de hac quidem testium examinatione alteri non committenda, cum Inquisitor est presens, nec legitime impeditus, in Hispanensi instructione anni Domini MCCCLXXXIII. c. 17. his verbis a nobis latine redditus cautum est: Item Inquisitores per se ipsos recipiant & examinent testes, nec committant eorum examen notario vel alteri personæ: nisi testis esset ita infirmus, quod non posset ante Inquisitorem comparere, & Inquisitor non esset honestum ire ad recipiendum testis dictum, vel esset impeditus: nam eo casu posset Inquisitor committere examen testis iudici ordinatio ecclesiastico loci, & alteri personæ provide & honesta, quæ sciat bene examinare cum notario, & referat modum, quem tenuit testis in deponendo. h. ec. ibi.

Quamquam autem extra Hispaniam non tenetur necessario Inquisitores. Apostolici huius instructionis decretum observare, ut alibi copiosius scripsimus, possuntque inspecto vel iure communi, vel privato, vel consuetudine aliqua, non modo cetera, sed etiam testium examinationem committere, tutius est tamen, ut per se ipsos eos interrogent atque examinent, ut dictum est.

Commissarijs vero suis alibi constitutis propterea & hoc & alia committere coguntur, quia non possunt ipsi Inquisitores per se alibi constitutos testes examinare, ceteraque transigere.

Iam hoc ipsum quod de Inquisitoribus Apostolicis diximus, in episcopis quoque locum habere censemus, in his locis, in quibus non sunt Apostolici Inquisitores: ut videlicet ipsi Episcopi per se testes in causa fidei examinent, ob eandem causam.

In prædictis enim omnibus, & alijs ex eisdem modo aliquo emergentibus, dependentibus, & connexis, &c.] Utiles est admodum hæc clausula, ad tollendas varias difficultates, quæ in negotio inquisitionis occurrere solent, de quibus facile a cavillosis & fraudulentis reis opponi posset ex omissione huius partis, ad differendum inq; iudicium. Cum enim causa principalis tractatur, aliqua questio incidere potest, vel quippiam emergere, quod cum ad causam principalem immediate non pertineat, negotium posset iudicibus faceffere: quo fit ut optimo consilio in commissione addatur præfata clausula.

Quæ autem dicantur incidentia, dependentia, emergentia, & connexa, tradit Specul. titu. de incidenti questione. & glossa in l. quod iussit. §. prætor. ubi copiose Doctores. ff. de re iudi. item Doctores in l. quoties. C. de iudi. & in l. 1. C. de ordine iudicior. & Canonista in c. 1. & 2. de ordi. cognitio.

Diffinitiva dumtaxat sententia omnium impunitum & relapsorum, &c. nobis penitus reteruata.] Ceterorum ergo delinquentium sententijs

A veluti suspectorum redeuntium, fautorum, receptatorum & similibus, Inquisitorum commissarij virtute acceptæ subdelegationis ferre possent: immo et suas in relapsos & impenitentes possent pronuntiare, quoties generaliter illis forent Inquisitorum vices commissæ. quod non obscure videtur hoc loco sentire Emericus, dum specialiter sibi reservat sententias relapsorum, & impenitentium, indicans commissarios eas tunc posse ferre, cum Inquisitor specialiter sibi non reservasset: cui opinioni manifestius ad stipulatur idem Emericus paulo post num. 42. circa finem, ibi: Parati vobis committere, quatenus ad diffinitivam sententiam procedatis. & in me. 44. ibi: vsque ad sententiam diffinitivam inclusive procedere valeatis.

Et hanc sententiam summo iure veram esse existimo: nam cum Inquisitores sint principis delegati, hanc etiam facultatem poterunt suis commissarijs subdelegare. e. c. super. de offic. delegati. l. a. i. a. C. de iudi.

Ceterum quia res est magni ponderis, cum de vita hominis agatur, tutius erit hanc potestatem Commissarijs non tribuere, ut optime etiam hoc loco indicat Emericus. Jam de commissarijs amplius differit auctor 3. par. q. 13. & seq. ubi & nos copiose cum eo differimus.

Forma litterarum instituendi duos commissarios simul, qui procedant pariter & coniunctim.

Rater N. ordinis Prædicatorum, &c. 41 Venerabilibus, & nobis in Christo dilectis religiosiis viris fratribus, tali & tali, ordinis talis: Salutem in auctore & conservatore, &c.

Quia secundum canonicas sanctiones intergrum est iudicium, quod plurimorum sententijs confirmatur: & negotium talis viri delati, capti, & detenti pro hæretica pravitare sit negotium nimis arduum atq; graue: attetis circumstantijs criminis, & personæ: capropter, ut fidei negotium arduum antefatum maturius peragatur, & in eo securius procedatur: ac consultius sine debito terminetur: Vobis duob. pariter coniunctim, & non uni sine altero committimus plenariè vices nostras, ac plenariè procededi potestatem in dicto fidei negotio, & in omnib. ex illo emergentibus, incidentibus, & connexis, etiam vsq; ad diffinitivas sententias exclusivè concedimus facultatè, tenore præsentium nostrarum litterarum. In cuius rei testimonium, præfatas nostras litteras nostri sigilli appensione iussimus communiri.

Forma alia secunda pro eodem.

Rater N. ordinis Prædicatorum, &c. 42 Magna prudentia religiosiis viris fratribus tali, & tali, ordinis talis: Salutem in auctore & conservatore: &c.

Vertical text in the left margin, partially cut off, containing various words and fragments.

Cap. prudètia. de officio deleg. cap. de quib. 20. dist.

QVIA Secundum catholicam irrefragabilem A
 veritatem, † ubi multa consilia, ubi salus, & ubi
 † prou. c. 11. & 24.
 peritiorum plurimorum sententia, ubi virtus; eū
 L. fin. C. de f. deicom. l. ha. redes palam. §. 1. de r. st.
 per plurima consilia atque iudicia rei veritas me
 lius discutitur, efficacius detegatur, & clarius
 videatur: Ea propter cupientes negotia fidei or
 thodoxæ cōmodius, ac vtilius promoueri ad Dei
 gloriam, & honorem; Vos talem, & talem, viros
 vtiq; scientia prouidos, sapientia circumspectos;
 zelo sanctæ fidei circumcinctos, prout per experi
 entiam diuturnam esse nouimus, & de quorū
 virtutib. fiduciam in Domino gerimus plenam:
 Vicarios nostros, ac Commissarios speciales in
 stituimus in tota tali diocesi, cum plenitudine
 † Hæc clausu la quam vim habent tradit Fely. in c. 1. §. nulli. de r. scriptis.
 potestatis: cōmittentes vobis, ex certa scientia, †
 & expresse, quatenus pariter, & coniunctim in
 negotijs sanctæ fidei ad eandem fidem sanctam
 firmitus complantandam, & ad prauitatem hære
 ticam validius extirpandam, auctoritate nostra,
 immo verius Apostolica, vsque ad diffinitiuam
 sententiam exclusiue, & in omnib. ex illis emer
 gentibus, dependentibus, & connexis, procedere
 valeatis, liberam potestatem conferentes tenore
 nostrarum presentium litterarum: parati uobis
 committere quatenus ad diffinitiuam sententiā
 procedatis, cum per vos vel vestras litteras fueri
 mus de qualitate negotij plenius informati. In
 cuius commissionis, & concessionis testimoniū
 presentes nostras litteras nostro sigillo iussimus
 communiri.

Forma instituendi ab Inquisitore in tota prouincia Vicarium generalem.

43 FRATER N. ordinis Prædicatorum Venerabi
 li, & nobis in Christo dilecto patri, fratri ta
 li, talis ordinis sacre Theologiæ egregio profes
 sor: Salutem in auctore & conseruatore, &c.
 Quia Dignum merito existimamus & suffra
 ganti. us nobis ad hæc canonicis institutis, secun
 dum negotiorum qualitatem, eorumq; minorē,
 seu ampliolem arduitate, de ministris idoneis
 prouidere, & negotium sanctæ fidei, in renatis
 fonte sancti bapulsatis commodius confouen
 da, ac in præcordijs conuerforum ad eadem fir
 mius complantandæ, & de hæreticorum infectis
 visceribus labem ipsam hæreticam cautius euel
 lendæ, sit negotium ad honorē Dei, & fidei aug
 mentum & vtilitatem Ecclesiæ, & populū super
 omnia alia negotia seculi obtinēs principatum:
 propter quod cum magna circumspectione, &
 indagine est de ministris idoneis ad exequendū
 dictum fidei negotium prouidendū: Ideirco nos
 frater N. Inquisitor præfatus, attendentes, quod
 commode in terris nostre iurisdictioni subiectis
 non valemus diutius cōmorari: eum a nos oport
 teat ad Romanam curiā dirigere breuiter gres
 sus nostros, pro consultando Sanctissimo domi
 no nostro Papa super quibusdam arduis nego
 tijs sanctæ fidei promouendis: & cupimus totis
 nostris visceribus de idoneo generali commissa

rio prouidere: Vos venerabilem fratrem sacre
 Theologiæ magistrum, de cuius scientiæ profun
 ditate, sapientiæ soliditate, & conscientiæ sinceri
 tate fidem in Domino gerimus firmiorem, expe
 rientia solida comprobata: Vicarium nostrū,
 & Commissarium in omnibus regnis, & terris
 talis domini, nostre Inquisitioni subiectis, insti
 tumus, & facimus generalem: committentes vo
 bis ex certa scientia & expresse, in, & super om
 nibus & singulis fidei negotijs, quæ occurrunt,
 & etiam in omnibus ex illis dependentib. emer
 gentibus, in cidentibus, & connexis, quādo un
 que, & quomodocunq; plenarie, & generali
 ter vices nostras, etiam vt ad sententias diffinitiu
 as relapforum, & impenitentium, & alias qua
 lescunq; libere procedere valeatis, liberā con
 cedimus potestatem tenore nostrarum presen
 tium litterarum: In quarum commissionis, &
 concessionis testimonium, presentes nostras li
 teras sigilli nostri munimine iussimus roborari.
 Datum in tali loco, tali die, talis mensis.

COMMENT. XI.

CVM nos oporteat ad Romanam curiam di
 rigere breuiter gressus nostros, pro consul
 tando Sanctissimo domino nostro Papa, &c.
 Cum olim initio constituta Inquisitionis delegari
 nulli (quod ego sciam) essent Inquisitores Cardina
 les generales in tota republica Christiana, quos per
 litteras liceret consulere, & ab eis etiam in arduis
 responsum, habita prius cum Pontifice summo de
 bita consultatione, vt nunc fit, accipere: propterea,
 sepe cogebantur priuati Inquisitores Roman
 ficisci, in quorum absentia negotia fidei multum pe
 riclitabatur, vt copiose docet Eymericus paulo post
 num. 128.

Quibus incommodis inspectis primus (quod ego
 legerim) Urbanus iij. anno Domini MCCCLXIII.
 Cardinalem sancti Nicolai in carcere Tulliano In
 quisitorem creauit generalem, seu quasi protettore
 Inquisitorum constituit, quem possent particulares
 Inquisitores consulere, vt constat ex pernetatio
 scripto Urbani iij. incipientes: Cupientes, quod nos
 authenticum vidimus in inquisitione Bononiensi
 quem morem multos deinde Romanos Pontifices
 obseruasse, præsertim eo tempore quo hæreses pulu
 larent, sit mihi maxime verisimile.

Hodie singulari Romanorum Pontificum prou
 dentia hæc penitus incommoda sunt sublata: nā in
 Hispania Inquisitores singularum vrbium genera
 lem eorum regnorum Inquisitorem seu Inquisito
 nis præsidem consulunt: is vero cum ceteris alijs
 prouinciarum Illustrissimos ac Reuerendissimos
 Cardinales inquisitores generales in tota republica
 Christiana, quos per litteras consulere licet: quibus
 principes omnes in hac causa merito subijcuntur,
 vt ordinatione quadam Pij Quinti Pont. Max.
 iustissime cauetur.

Eius autem rescripti cuius paulo antea memini,
 fragmentum hic transcribere placuit, in gratia co
 rum qui notitia antiquitatis delectantur. habet ve
 ro in hunc modum.

Peri-